




777







CHRISTIANUS VATER,  
Philos. & Medic. D. & P. P.  
Extraord.

CHIMIAM RA-  
TIONALEM,

In artis formam redactam

publice explicaturus

NOBILISSIMOS

Medicinæ & Chimiæ Cultores,

Humanissime

invitat,



WITTEBERGÆ,

Excudebat MARTINUS Schulze.



CHRISTIANUS VATER.

Philos & Medic. D. & P. G.

Extoroid

CHIMIAM RA.

TIONALEM

In aere formam redactam

publice examinata

NOBILISSIMOS

Medicinas & Chirurges Censores

Humanae

\*\*\*\*\*

WITTEBOR

Excelsior Martini & G.





**N** Egari non potest, chimiam æque ac reliquas Medicinæ partes à Veterum illa, etiam quâ circa Annum seculi hujus vigesimum incedebat, tota veluti facie hodie differre; Quandoquidē illo adhuc tempore, referente Barnero in Chimia philosophica ex ore B. Michaelis, vel primi subsellii Chemicus & tantum non pro Hermete habebatur, qui spiritum solum nitri destillare, aut resinam quandam mediante spiritu vini extrahere noverat. Nihilo fecius tantum abest, ut eandem nunc Artem perfectam, aut omnibus numeris absolutam, quin potius adhuc veluti Embryonem, innumeris modis perficiendum & expoliendum, deprehendat quilibet, cui solidiora artis fundamenta scrutari animus gestit. Extant quidem sat multa Chemicorum Scripta, imo Opera vastissima, in quibus communiter tantum processuum, ut vocantur, farragines cumulantur, vel compendia & arcana laudantur,



tur, rationes vero, seu æthiologiæ generationum  
& destructionum, aliorumque phænomeno-  
rum negliguntur, aut occultantur forsan; Cum  
tamen præcipuus Chimiæ Rationalis finis sit, non  
solum pura ab impuris secernere, diversa invicem  
combinare, transmutare, sed singulorum quo-  
que productorum & phænomenorum rationes  
evidentes & fundamentales reddere, utpote quâ  
solum ratione Artis alias difficillimæ & amplissi-  
mæ certitudo confirmatur & Chemicus Rationa-  
lis ab Empirico discernitur. Tanti autem defe-  
ctus quamplurimæ omnino sunt causæ: Olim, dum  
simplici admodum facie Medicina incederet, vul-  
gatisimis admodum & levi, vel nullo artificio pa-  
ratis remediis curabant ægros suos, uti ex Hippo-  
cratis aliorumque Scriptis abunde liquet; post-  
quam vero, crescentibus morborum turmis, Medi-  
ci in sola visitatione ægrorum, vel etiam Scripto-  
rum per commentarios illustratione occupati,  
præparaciones & Compositiones remediorum  
Ministris suis committerent (licet postmodum  
elapso proxime seculo, Paracelsus ejusque sectato-  
res Medicorum potius operam quam maxime &  
justissime urgerent) factum tandem est, ut hi in  
majorem fiduciam erecti non solum specialem  
pharmacopœæ artem conderent, sed Chimiæ  
quoque



quoque impensius excolendam sibi sumerent ;  
Medicis interim tanquam parergon tantum,  
rem tractantibus, quasi probrosum ipsis esset,  
aut illiberale & ad Empiricos vel Pharmaco-  
pœos solum spectaret ejusmodi manuale stu-  
dium. Meliori profecto jure Artisqve cum  
emolumento feliciori, etiam in medio philo-  
sophiæ cursu, anteqvam ne quidem de medi-  
cina cogitatur, addisci debebat Chimia, quan-  
doquidem, ut Helmontius loquitur, intelle-  
ctum nostrum præparat ad Naturæ occulta pe-  
netranda, ponitqve investigationem in Natu-  
ra ulteriorem, quam reliquæ scientiæ omnes si-  
mul, & penetrat ad ultimas usqve profundita-  
tes veritatis realis: Sed magis adhuc svadent  
ægrorum salus & ipsius Medici conscientia,  
ut remediorum præcipue generosiorum &  
Chimicorum præparationem ad minimum  
exacte calleat & accurate examinet, ne adhibi-  
tis aliquando male præparatis, quod non adeo  
raro fieri assolet, & sibi & suis ægris male consu-  
lat. Quomodo enim Medicus alias de infalli-  
bili & salutari remediorum effectu certus esse  
poterit, de quorum nec præparatione, nec bo-  
nitate vel effectu haut ex alio constat. Oportet  
certe illum suam ægrorumqve salutem, imo  
20116 A 3 ipsissi-



ipsissimam vitam lubricæ aliorum fidei com-  
mittere, quod certe quàm periculosum, ne di-  
cam turpissimum esse, vel me tacente quilibet  
videt? Aut quomodo informabit Medicus  
Pharmacopœum in conficiendis nobilioribus  
& Chemicis remediis, si nunquam manus adhi-  
buit iisdem? Quid dicam de materialium, è  
quibus medicamenta confici solent, & multo  
magis præparationum infinita propemodū va-  
rietate, quæ certe non Empiricum sed Medi-  
cum multiplici experientia & solidissimis ra-  
tionibus instructum requirunt. Ab illis vero Em-  
piricis Chemicis obtrusa habemus tot figmen-  
ta, vel mendacia potius in foro medico, dum alii  
quicquid vel per somnium conceperunt, char-  
tæ statim commiserunt, alii processus tantum  
ordine exscriptos cumularunt, collegerunt, ut  
qui ex illis eligi possint, vel peritissimus igno-  
ret sæpius. Sed defectus ejusmodi ingentes  
deprehenderunt jam tum, istamque glaciem,  
fregerunt Excellentissimi nostri temporis Chi-  
mici, *Helmontius, Sennertus, Michaelis, Rolfin-  
cius, Zvelfferus, Bobnius, Vedelius, Barnerus,*  
& alii, uti ex Eorum Scriptis Pharmaceuti-  
co-Chemicis sufficienter constat. Horum  
quoque vestigiis insistens hætenus per aliquot  
annos



annos in Collegiis Privatis Experimentalibus &  
Chimicis eo laboravi, ut mihi meorumque  
Commilitonum privatis usibus Chimiae com-  
pendium propria experientia adornarem, in  
quo non solum instrumenta, operationes &  
Enchirifes demonstrantur, sed omnium quo-  
que operationum, generationum & corruptio-  
num aliorumque phaenomenorum principia  
& fundamenta, quantum fieri potuit, solidiora  
simul explicantur:

Quandoquidem igitur ab Academia hu-  
jus Nutritio longe. **Munificentissimo**,  
**Serenissimo ac Potentissimo Sa-**  
**xoniae ELECTORE, JOHAN-**  
**NE GEORGIO III. &c. &c.**  
**Domino Meo Clementissimo**,  
Sparta Extraordinaria publice docendi mihi  
nuper fuit concessa & ex decreto Gratosissimae  
Facultatis Medicae Chimiam explicare teneor,  
ideoque constitui mecum, Ejusmodi *Chimiam*  
*Rationalem in Artis formam redactam* Philia-  
tris non solum publice communicare & expli-  
care, sed etiam ipsas operationes & enchirifes  
(quandoquidem in hoc potissimum studio in-  
gens discrimen interest, ex Libris sapere & pro-  
pria

pria



pria experientia, prævia manuum coopera-  
tione, simul cognovisse ) in Laboratorio Dome-  
stico ea quæ par est, dexteritate exhibere & de-  
monstrare. Agite igitur *Nobilissimi Artis Fi-  
lii & Naturæ Scrutatores*, non permittite, ut  
fructus Vestris studiis debitos consequantur a-  
lii; Faciam mei instituti felix, moderante  
Divino Numine, auspiciis Castino Die à me-  
ridie, Hora Secunda, adjutus Vestra, prout exci-  
tat semper frequentia studium, præsentia &  
affectu, quem ea quæ possum humanita-  
te exoro. P. P. Dominica Judic.

A. O. R. M DC XC.





V.D.H.





B